[illegible] de 31 [illegible]
[illegible] capítulos [illegible]
[illegible] de [illegible]
[illegible] en la [illegible]
[illegible] 1612
al 1773 [illegible]
[illegible]

Este libro usado
FUE DESINFECTADO
para su venta

ESTE MARBETE DEBE SER
[DE]STRUIDO POR EL COMPRADOR

ACTA CAPITULI PROVINCIALIS CELEBRATI IN IMPERIALI S. P. N. DOMINICI MEXICANO CONVENTU,

Die quinta decima menſis Maij, anni ab Incarnatione Domini milleſimi ſeptingenteſimi ſeptuageſimi tertij.

SUB R. ADM. P. N.

FR. JOSEPHO GEORGIO DE ALFARO, ET AZEVEDO,

In Sacra Theolog. Praeſent. Sancti Offic. Qualific. Epiſcop. Durangenſis, nec non hujus Archiepiſcop. Synodal. Examinat. nunc autem ex Collegij Pontificij S. P. N. Dominici de Portacoeli Rectore, omnium conſenſu ad Provincialatus culmen evecto.

DEFINIENTIBUS UNA CUM IPSO,

RR. ADM. PP. NN. FR FRANCISCO LARREA, Ex Prov. in Sac. Theolog. Mag. Sanct. Offic. Qualif. hujus Archi-Dioec. Synod. Exam. ex natis in Hiſp. primo Definitore. FR. PETRO MORENO, ET SAÑUDO, in Sac. Theolog. Mag. Sanct. Offic. Qualif. noſtrique Convent. SS. Apoſt. Petri, & Pauli de Queretaro Priore, ex natis in Hiſp. ſecundo Definitore. FR. EMMANUELE FLETES, in Sac. Theolog. Mag. ex natis in Indijs, tertio Definit. necnon FR. FRANCISCO SILVESTRE, Praed. General. ex natis in Indijs, quarto Definitore.

EX TYPIS LIC. D. JOSEPHI JAUREGI.

RPJCB

580.

✠
JHS

IN NOMINE PATRIS, ET FILIJ, ET SPIRITUS SANCTI. AMEN.

ABSOLUTIONES.

Abſolvimus ómnes Suppriores Conventuum, Vicarioſque, & Praeſides Domorum hujus noſtrae Provinciae.

DENUNTIATIONES.

1. DEnuntiamus: quod cum R. Adm. P. N. Fr. Petrus Garrido, in Sacra Theologia Mag hujusque Archiepiſcopatus Synodalis Examinator hujus noſtrae Proviciae Regimen, poſt praeſcriptum â noſtris legibus quadriennium, tam laudabiliter expleviſſet, ut neque jota unum, aut apex in ſui adminiſtratione notari poſſit, quinnimo ejus viſcera ſemper experti fuerint omnes prona potius ad miſerendum, quam ad puniendum, quin propter hoc, in Regulari diſciplina promovenda, infatigabilis zelus ipſi deffluxiſſet, oneri tandem, (etſi cum omnium animorum anxietate,) vale dicturus, Electores ad noſtrum Imperialem Mexicaeum Conventum á Dominica Septuageſimae, quae in diem incidit 7 Februarij, per Encyclicas literas vocavit, ut dictae Provinciae de idoneo ſucceſſore, ipſiusque Patre providerent. Qui demum die 15. Menſis Maij, quae quidem dies erat, in qua, (calculo aprimè facto) Capitulum Provinciale, ut mos eſt in iſta noſtra Provincia, debuit celebrari, in Capitulo ad ſonum campanulae congregati, Praeſide R. Adm. P. Fr. Joſepho Joachimo Ramonel, Ex-Lectore, Sancti Officij Qualific. hujus Archiepiſcopatus, nec non Durangenſis Synodali Examinatore, Imperialisq. noſtri conventus dign. Priore; ſervatis omnibus in canonicis electionibus ſervandis, ad Provincialatus culmen jure alternativae ad natos in Indijs nunc pertinentis, R. ADM. P. N. FR. JOSEPHUM GEORGIUM DE ALFARO, in Sacra Theologia Praeſentatum, Sancti Officij Qualific. Durangenſis Epiſcopatus, necnon hujus Archiepiſcopatus Synodalem Examinatorem, Collegij tandem S. P. N. Dominici de Porta-Coeli Rectorem, communi plauſu, omniunque gratulatione ob praeclara ipſius merita, egre-

egregiasque dotes, quibus jam pridem, tam cum in minoribus eſſet, quam cum in majoribus, in praefecturis ſcl. in quibus ita ſe ſe habuit, ut eſſet in illis quaſi unus ex ipſis, ſumma charitate omnes proſequendo, magnaque cum prudentia gubernando; cunctorum animos in ſe converterat, elevarunt. Cui ſubnixè, utpotè ritè electo obedientiam dedimus, atque ejus electionem Rmi. P. N. M. Gener. authoritate firmari poſtulamus.

2. Denuntiamus: ad noſtram notitiam perveniſſe Catholicae Majeſtatis Caroli III. Regis noſtri, (quem Deus incolumen ſervet) Regiam Schedulam Sancti Ildefonſi die 9. Julij anni Domini 1768. datam, in qua, aliam ejuſdem inſertam, cujus data eſt in Pardo die 5. Aprilis anni 1762. inviolabiliter praecipit obſervari, ut Secularis Poteſtas quoslibet delinquentes è loco ſacro extrahere valeat, abſque eo quod Judici Eccleſiaſtico horum ſummariam neceſſario manifeſtare debeat, ſola cautione juratoria praemiſſa, cui, ut par eſt, obedientiam fecimus.

3. Denuntiamus: aliam ejuſdem Caroli III. Regis noſtri Matriti die 28. Menſis Martij anni 1769. datam, in manus noſtras veniſſe, in qua praecipit cujuscumque Religionis Superiores nullo modo ad alicujus expulſionem procedere poſſe, niſi adamuſſim omnibus requiſitis per varia Pontificia decreta, Sacrae Congregationis, Conciliorumque declarationes, ſervatis.

4. Denuntiamus: Carolum III. Regem noſtrum (multiplicentur illi anni vitae) ad tollendum de ſuae ditionis populis Schiſma, atque ut obedientia Principibus debita, tamque fortiter ab Apoſtolo commendata omnino ſervetur, per aliam ſub die 3. Octobris anni 1769. Sancti Ildefonſi datam, nobis praecepiſſe, ut omnia, tam manuſcripta, quam impreſſa Exemplaria Pontificiarum litterarum, quae videntur Romae die 12. Julij praefati anni datae in expulſorum Jeſuitarum favorem, praecipue á ſuo Generali Praepoſito in Miſſiones deſtinatorum, cujus initium eſt, *Coeleſtium*, de omnium omnino memoria aboleantur.

5. Denuntiamus: die 27. Novembris anni 1767. expeditam fuiſſe aliam, in noſtramque notitiam veniſſe, in qua prohibet Catholica noſtra Majeſtas, Bullam in Coena Domini, ſub ea, qua continetur, forma publicari.

6. Denuntiamus: Matriti ſub die 3. Decembris anni 1769. Regalem expeditam fuiſſe Schedulam, praecipientem in hujuſmodi Indiarum Regnis aliam in eademmet inſertam inviolabiliter obſervari, cujus data eſt die 3. Octobris praedicti anni, ut quamtotius, ſineque temporis jactura ſatyricae picturae Regularium Societatis, tam expulſionem, quam regreſſum adludendentes, ſi forſam in hujuſmodi Regnis fuerint introductae, in perpetuam oblivionem tradantur.

7. Denuntiamus: In manus noſtras deveniſſe Catholici Regis noſtri (quem Deus ſervet) Decretum Matriti die 9. Decembris anni 1769. datum, in quo praecipit Magiſtratibus necnon Prealatis, tam Secularibus, quam Regularibus, ut, iſtis Indiarum Regnis inviolabiliter obſervetur alterius in eodem inſerti contentum, prohibentis expulſos Jeſuitas, minimè, in ſuae ditionis loca abſque ſua expreſſa licentia venire poſſe, ſtatutasque contra eos poenas, nec non contra eorum auxiliatores, vel eos, qui, cum ſcirent, in denuntiando negligentes inventi fuerint, innovantis.

8. Denuntiamus; aliud ejuſdem Catholic. Reg. in noſtras manus perveniſſ-

veniſſe Decretum ſub die 9. Decembris anni 1770. quo praecipiebat Cath. noſtra Majeſt. inſtructiones, & media ab Illmó. D. D. D. de Lorenzana, tunc Mexicano Archiepiſcopo propoſita, extemplo ſumma cura in praxim deducenda; ut videlicet tam variae, diſcrepantesque, quibus novi hujus incolae Orbis utuntur, linguae penitus aboleantur; ſintque omnes, tam hujus Regni, quam confinium Inſularum labij unius Hiſpanici.

9. Denuntiamus: plurimorum laetitiae, (quia commune erat bonum) noſtram fuiſſe conjunctam, cum invenimus per praefatae Majeſt. litteras in lucem foeliciter editum Sereniſſim. Infant. D. Carolum Clementem. Quapropter, quod opis erat noſtrae, debitas Deo in tota noſtra Provincia perſolvimus grates.

10. Denuntiamus: litteras N. Rmì. Mag. General. die 8. Aprilis anni Domini 1769. Sanctæ Mariae ſuper Minervam datas, nos recepiſſe, in quibus ſub praecepto formali, factique nullitatis poena, nec non vocis activae, ac paſſivae privatione prohibet, ne aliquis, qui in dominjis Hiſpaniarum ortus non fuerit, ad habitum noſtri ordinis, aut profeſſionem per Priores admitattur: quibus, ut par eſt, in omnibus parere ſtudemus.

11. Denuntiamus: alias ejuſdem N. Rmi. Mag. General. die 28. Octobris praefati anni expeditas, â nobisque praeoptatas litteras in manus noſtras veniſſe, quibus dignata eſt P. Sua Rmâ. magno cum ſolatio totius noſtrae Provinciae, P. N. Fr. Petri de Garrido electionem confirmare.

12. Denuntiamus: ad nos veniſſe alias, datas Sanctae Mariae ſuper Minervam die 13. Junij anni Domini 1770. in quibus nos certos faciebat, Suam Rmám. P. R. Adm. P. Mag. Fr. Petrum de Iriarte, Fratrum ad Miſſiones, quos ex Hiſpania ad Regnum iſtud adducebat, Vicarium conſtituiſſe, quo uſque eos R. Adm. P. N. Fr. Petro de Garrido, hujus Provinciae tunc Provinciali preſentaret.

13. Denuntiamus: per litteras N. Rmí. Mag. General. triſtitia, & amaritudine, ut juxtum erat, plenas die 17. Decembris anni 1770. expeditas, ad manusque noſtras apulſas die 4. Junij anni 1771. nuntiatam nobis fuiſſe Eminentiſſimi Cardinalis Corſini, Ordinis noſtri Protectoris lacrimabilem mortem, omnibus, nobisque praecipue dolentiſſimam, pro cujus anima ſecundum earumdem litterarum tenorem ſuffragia in tota noſtra Provincia, ut par erat, peregimus; Deoque preces fudimus, ut in coelum aeterni regni coronam perceptura, migraret.

14. Denuntiamus: die 10. Maij anni Domini 1772. ad nos optatiſſimas litteras, Rmí. N. Mag. General. Romæ die 26. Decembris anni 1771 datas, perveniſſe, in quibus dignata eſt P. Sua Rmâ. acta praeteriti Capituli confirmare, nec non Gradus in iſta noſtra Provincia vacantes; quorum tenor eſt ut ſequitur.

Ad Magiſterium titulo Lectionis, ad natos in Indijs pertinens, actuque vacans ob mortem R. Adm. P. Mag. Fr. Antonij Manſilla, fuit promotus R. Adm. P. Praeſent. Fr. Emmanuel Fletes, in Indijs natus.

Ad Praeſentaturam titulo Lectionis, actuque vacantem ob mortem R. P. Praeſent. Fr. Stephani Gamero, in Hiſpania nati, R. P. Fr. Dominicus Gandarias, in Hiſpania ſimiliter natus.

Praeſentatura titulo Praedicationis ad natos in Indijs pertinens, quae

actu

actu vacabat ob aſcenſum ad Magiſterium R. Adm. P. Mag. Fr. Joannis Zevallos, in Indijs nati, R. Praed. Gen. Fr. Joſepho Morales, in Indijs quoque nato fuit collata.

Praedicatura Generalis noſtri Conventus de Quahutla actu vacans ob aſcenſum ad Praeſentaturam R. P Fr. Joſephi Morales, in Indijs nati, R. P. Fr Franciſco Silveſtre, in Indijs nato.

Ad Magiſterium titulo Praedicationis ad natos in Indijs pertinens, actuque vacans ob mortem R. Adm. P. M. Fr. Joannis Zevallos, erat aſſumptus R. P. Praeſ. Fr. Franciſcus Diaz Leal; in Indijs natus, qui jam è vivis ſub latus erat, cum ad manus noſtras gradus pervenere.

Ad Praeſentaturam titulo Praedicationis ad natos in Hiſpania pertinentem, actuque vacantem ob mortem R. Adm. P. N. Praeſent. Ex-Provincial. Fr. Raymundi de Sequera in Hiſpania nati, fuit aſſumptus R. P. Praedicat. General. Fr. Dominicus Gomez, in Hiſpania ſimiliter natus.

Ob aſcenſumque ad Magiſterium R. Adm. P. Fr. Franciſcum Diaz Leal, (in pace requieſcat) ad ipſius praeſentaturam erat promotus R. P. Praedic. Gen Fr. Caietanus Guerrero, in Indijs natus, qui ſimiliter é vita exceſerat dum ad iſtam noſtram Provinciam gradus appulere.

Ad Praeſentaturam titulo Praedicat. ad natos in Hiſpania pertinentem, actuque vacantem ob aſcenſum ad Magiſterium R. Adm. P N. Ex-Provinc. Fr. Petri de Garrido, in Hiſpania nati, fuit aſſumptus R. P. Praed. Gen. Fr. Vincentius á Sancta Maria, in Hiſpania quoque natus.

Ad Praedicaturam verò General. conventus noſtri B. M V de Amecamecam actu vacantem ob mortem R. P. Praed. Gen. Fr. Joſephi Roel, in Hiſpania nati, erat promotus R. P. Fr Nicolaus Ortiz Zarate, in Hiſpania ſimiliter natus. Qui etiam ultimum diem attigerat, cum in manus noſtras gradus venerunt.

Praedicaturaque Generalis noſtri Imperialis Mexicani Covnentus ad natos in Hiſpania pertinens, actuque vacans ob mortem R.P.P.G.Fr.Joannis de Eſcalera, in Hiſpania nati, R. P. Fr. Franciſco de Eſtavillo in Hiſpania quoque nato fuit collata.

Ad Praedicaturam veró Generalem noſtri Conventus Sanctae Roſae de Sombrerete actu vacantem ob aſcenſum ad Praeſent. R. P. Fr. Dominici Gomezij, in Hiſpania nati, fuit aſſumptus R. P. Fr. Joachimus Gamiz, in Hiſpania ſimiliter natus.

15. Itemque Denunciamus: multo poſt alias N. Rmi. P. M. Generalis ad nos veniſſe litteras, quibus dignata eſt ſua Rma. ad Magiſterium titulo Lectionis, ad natos in Hiſpania pertinens, actuque vacans ob mortem R. Adm. P. M. Fr. Didaci Maguetij in Hiſpania nati, R. P. Praeſ. Fr. Hieronimum Camps, in Hiſpania quoque natum, promovere.

16. Denunciamus: die 30 Auguſti anni Domini 1771. Ex Hiſpania ad noſtram Provinciam perveniſſe 23. Fratres cum duobus Converſis â R. Amd. P. M. Fr. Petro de Iriarte conductos, â noſtroque Rege Carolo III. (Cui concedat Deus longaevam vitam ſuper terram) miſſos, ſuique regalis aerarij impenſis transductos, ut Californiae Miſſiones, quae olim in expulſorum Jeſuitarum poteſtate erant, obtinerent, quorum Nomina, Cognomina, Patrie, Conventus, annique profeſſionis, nec non aetatis ſunt, ut infra ſequuntur.

1. R.

1. R. P. Lector Fr. Franciſcus Galiſteo, in oppido de Carcabuey Abbatiae de Alcala la Real natus, in conventuque Granatenſi Ordini noſtro adſcriptus. Aetatis 38. profeſſionisque 21. numerat annos.

2. R. P. Praed. Fr. Emmanuel Garcia, in civitate Valliſoletana ortus, & in conventu Sancti Pauli ejuſdem civitatis profeſſus. Aetatis 33. profeſſionis 17. ſupputat annos.

3. P. Fr. Antonius Lueſma, in Caeſarauguſtana civitate in lucem editus, in ejuſdemque civitatis Sancti Ildephonſi conventu profeſſus. Aetatis 32. profeſſionisque 16. habet annos.

4. P. Fr. Nicolaus Muñoz, in villa Valerenſi Conchenſis Dioeceſis ortos, & in conventu de Murcia profeſſioni deditus. Aetatis 33. profeſſionisque 15. enumerat annos.

5. P. Fr. Andraeas Soto, in oppido Sancti Mamet de Roys Compoſtellani Archiepiſcopatus natus, & in conventu Sancti Stephani Salmantini Ordini noſtro adſcriptus. Aetatis 32. profeſſionis 13. ſupputat annos.

6. R. P. Lector. Fr. Emmanuel Perez, in oppido Narigenſi Granatenſis Archiepiſcopatus ortus, & memoratae civitatis conventus filius. Aetatis 30. profeſſionisque 14. numerat annos.

7. P. Fr. Joſeph Diaz, in Regali Alcalá, ejuſdem civitatis Abbatiae in lucem editus, ordinique noſtro, in conventu Granatenſi adſcriptus. Aetatis 33. profeſſionis 14. ſupputat annos.

8. R. P. Lect. Fr. Michael Hidalgo, é villa de Adamus Cordubenſis Epiſcopatus oriundus, & in ejuſdem civitatis conventu profeſſus, ab ortu 29. â profeſſione vero 13. percenſet annos.

9. P. Fr. Joachimus Valero, in oppido turris Carcerenſis Alvarracinenſis Epiſcopatus natus, in conventuque, Caeſarauguſtanae civitatis Sancti Ildephonſi profeſſus, â nativitate 23. â profeſſione 13. numerat annos.

10. P. Fr. Martinus Zavaleta é Lergae oppido Pampilonenſis Epiſcopatus ortum ducens, & conventus ordinis dictae civitatis filius. Aetatis 29. profeſſionis 12. computat annos.

11. P. Fr. Joannes Bentinus, in oppido Sanctae Mariae ad Nives Tudenſis Epiſcopatus in lucem editus, & in Sancti Stephani Salmantino conventu profeſſus. Ab ortu 33. â profeſſione 12. percenſet annos.

12. P. Fr. Joannes Formoſus, de oppido Lovredo Compoſtellani Archiepiſcopatus oriundus, & conventus Corunnenſis filius. Aetatis 32. profeſſionis 12. numerat annos.

13. P. Fr. Joſephi Aibarius, in villa Torigenſi Toletani Archiepiſcopatus ortus, & in conventu Sanctae Mariae Regalis de Atocha profeſſus, Ab ortu 27. â profeſſione 12. habet annos.

14. P. F. Emmanuel Rodriguez, ab oppido Valdemar Tudenſis Epiſcopatus oriundus, & conventus Sancti Stephani Salmantini filius. Aetatis 30. profeſſionis 11. percenſet annos.

15. P. Fr. Stephanus Lopezius, in villa Cubenſi Burgenſis Archiepiſcopatus ortum duxit, & in conventu dictae civitatis ordini adſcitus. Aetatis 28. profeſſionis 12. habet annos.

16. P. Fr. Petrus Gandiaga, in villa de Funes Pampilonenſis Dioeceſis ortus in conventu de Pamplona profeſſionem emiſſit, Aet. 26. profeſſionis 10. numerat annos.

17.

17. R. P. Lect. Fr. Thomas Barberan, in oppido del Torcall Dertuſenſis Epiſcopatus natus; in conventu Praedicatorum Caeſarauguſtano profeſſus eſt. Ab ortu 30. â profeſſione 10. habet annos.

18. P. Fr. Joſephus Diez de Buſtamante, ê villa de Reynoſa Burgenſis Archiepiſcopatus oriundus, & in conventu Sancti Stephani Salmantini ordini adſcriptus. Aetatis 27. profeſſionis 10. percenſet annos.

19. P. Fr. Joſephus Lafuente, in villa de Sabiñan Tyraſonenſis Dioeceſis natus, & in conventu Calataguriano profeſſus: numerat ab ortu 26. â profeſſione 10. annos.

20. P. Fr. Dominicus Ginefius, in villa de Berge Caeſarauguſtanae Dioeceſis ortum duxit, in conventu San-Ildephonſiano habitu ordinis fuit indutus. Aet. 27 prof. 10. ſupputat annos.

21. P. Fr. Ludovicus Saleſius, Valentiae ortus, inque Praedicatorum conventu ejuſdem civitatis profeſſus eſt. Ab ortu 26. â profeſſione 10. ducit annos.

22. P. Fr. Joſephus Eſtevez, in oppido del Villar, Tudenſis Dioeceſis natus, & in conventu Sanctae Mariae Reg. de Trianos profeſſus. Aetatis 27. prof. 9. percurrit annos.

23. P. Fr. Joſephus Santolarienſis Oſcae natus, ſacrum Praedicat. Ordinem eſt ingreſſus in conventu de Linares. A nativ. 29. â prof. 9. numerat annos.

24. Fr. Emmanuel Zanui, converſus, in oppido de Rupe-Flore ortus, & in convent. Sancti Ildephonſi Caeſarauguſtanae civitatis profeſſus. Aetatis 48. prof. 18 percenſet annos.

25. Fr. Emmanuel Camazon, converſus, in villa de Zigales Valliſoletani Dioec. natus, & in conv. Palentino Ordini noſtro adſcriptus. Aet. 34. prof. 12. enumerat annos.

17. Denuntiamus: die 1. menſis Junij anni Domini 1772. iter arripuiſſe fratres noſtros in 14. Californiae Miſſiones, quae per decretum Exc. Pro Regis noſtri huic noſtrae Provinciae fuerunt aſſignatae; & quia bini, & bini pro qualibet erant aſſignandi, ad earum numerum implendum, partim ex ijs, qui jam anni 1769. die 12. Aprilis ad iſtam noſt Provinc ex Hiſpania venerant, partim ex ijs, qui inter nos ex natis in Hiſpania commorabantur, qui propria voluntate huic muneri ſe dederunt, aſſumpti ſunt. Aſſignatis inſuper per PP. â conſilijs hujus noſtrae Provinciae, preter Vicarium Generalem omnium earum, pro tribus Miſſionibus, uno, qui earum trium titulo Praeſidentis fungeretur. Quorum nomina, & cognomina in proprio aſſignationum loco patebunt.

18. Denuntiamus S. P. N. Dominici de Chimalhuacam Atenco domum â nobis per decretum Excmi. Pro-Regis, noſtri Illmó. D. D. Archiepiſcopo fuiſſe traditam die 10. Aprilis anni Domini 1770. Similiterque Sancti Joannis Baptiſtae de Tenango Tepolula domum die 15. Novembris anni 1771.

19. Denuntiamus: die 7. Martij anni Domini 1771. quo quartum Mexicanum Concilium celebrabatur, toto cum Concilio in noſtram Imperialem Eccleſiam omnes Epiſcopos conveniſſe, magnaque cum ſolemnitate Angelici noſtri Doctoris feſtum celebraſſe, praecedenteque ſolemni proceſſio-

ne,

ne, in qua praecedentibus ipſis Epiſcopis, eos tota Regia, ac Pontificia Univerſitas, ſua infula unusquiſque ornatus, antecedebat: (quæ quidem die praecedenti ad veſperas in modum proceſſionis formata Angelici noſtri Imaginem ad noſtrum conventum ex Univerſitate conduxerunt, orationemque latinam in tanti Doct. honorem dixit ex Seminario Collegio alumnus quidam.) Miſſam Solemnem dixit Illms. D. D. Fr. Antonius Alcalde, tunc Jucatanenſis Epiſcopus, ipſi miniſtrantibus R. Adm. P. N. Priore Provincial. necnon R. Adm. P. Priore hujus noſtri Imperialis conventus, panegyricamque orationem dixit Illms. D. D. Franciſcus Fabianus, & Fuero, tunc Angelopolitanus Epiſcopus, caeteris omnibus adſtantibus. Ex loco que eminenti, in quo orationem dicebat, feſtum Angelici noſtri, cum audiendi ſacrum obligatione in Concilio ſtatuta, populo promulgavit. Annoque ſequenti, proximus jam ad pergendum in Toletanum Archiepiſcopatum Excms. Illms. que D. D. Franciſcus Lorenzana, orationem in noſtri Angelici honorem pro coronide ſua die ad populum dixit.

20. Denuntiamus: die 28. Auguſti anni Domini 1772. N. Rmi. Mag. General. litteras, Romae in conventu ſuper Minervam die 5. Maij ejuſdem anni datas, in manus noſtras veniſſe, quibus dignata eſt P. Sua Rma. creare in Priorem noſtri conventus de Guadalaxara R P. Praeſent. Fr. Ignatium Gentil.

21. Denuntiamus: die 18. Menſis Maij praeſentis anni PP. Vocales in capitulo congregatos elegiſſe, in Definitorem quidem capituli General. necnon in Procuratorem utriuſque Curiae R. Adm. P Mag. Fr. Hieronymum Camps, Hiſpanum, Sancti Officij Qualificat. hujus Archiepiſcopatus Synod. Examinat. necnon IV. Concilij Mexicani Theologum Conſultorem, in ejus vero ſocium, ſive quatenus opus fuerit in electorem R. P. Praeſ. Fr. Joanem de Deo Cordova in Indijs natum; ſive Capitulum General. proximè celebrandum, ſit Provincial. ſive Definitorum.

22. Denuntiamus: quod Illmi Compoſtellani Antiſtitis Fr. Antonij de Monrroy, quondam noſtri Ordinis Mag. General. ordinationem impleturi, R. Adm. P. N. Mag Fr. Petrum Garrido, coram noſtro definitorio fixis antea in noſtro imperiali conventu edictis, fecimus comparere, ut eorum, quae durante Provinciae regimine ab ipſo ſunt geſta, rationem redderet; cum autem nullae adverſus eum quaerelae fuerint exortae, quinnimo menſuram in omnibus ſive ſpiritualibus, ſive temporalibus adimpleſſe, numerisque omnibus abſolutum fuiſſe ipſius gubernium invenerimus, dignas ipſi aequum duximus perſolvere grates.

ORDINATIONES.

1. Cum maxime regulari diſciplinae, Provinciaeque decori omnia illa, quae in praecedentis capituli actorum confirmatione, necnon aliorum á N. Rmó. M. G. fuere praecepta, expedire conſideremus; ea in memoriam revocantes, omnes noſtros ſubditos per Chriſti viſcera hortamur, ut ſuae profeſſionis memores taliter ea obſervent, ut ab ipſis nec latum quidem unguem diſcedere praeſumant.

 2. Quia

2. Quia aliqnae hujus noſtrae Provinciae laudabiles conſuetudines pra
ſenti tempore, non ſine magno cordis noſtri dolore, jacturam pati intu
mur, quam ſi neglexerimus, tanti detrimenti rei efficeremur; inſuperqu
attendentes quod, cum iſta noſtra Provincia ex natis, tam in Indijs, qua
in Hiſpania ad integretur, ſi unuſquiſque quando jure alternativae in Pra
laturam aſſumitur ſui conventus conſuetudines introduxerit, in monſtru
tandem abiret noſtra Provincia; ideo tam muneris noſtri memores, qua
Provinciae noſtrae bono ac unanimitati conſulentes, ordinamus ne quis i
poſterum, tam tempore infraoctavae Sanctiſſimi Corporis Christi, quan
qualibet alia die, in qua publicae venerationi exponi debeat venerab.l
illud Sacramentum, ſub quo continetur, & eſt Deus ille, quem Angeli, at
que Archangeli laudant, Poteſtates tremunt, in cujus conſpectu nullun
venerationis, ac reverentiae ſignum eſt omittendum, illud detegere, au
velare audeat absque debita illa ſolemnitate in noſtris rubricis praeſcripta

3. Item ordinamus Divinis. Euchariſtiae Sacramentum, quod in capi-
tulo hujus noſtri conventus aſſervatur, nullatenus inde extrahi valere.
Hortamurque ut aeditimus, vel quiſquis ille ſit, cui commiſſa illius loci
cura fuerit, omnem diligentiam adhibeat, quò, nec lampas, (quae qui-
dem ad hunc finem dotata eſt) aliquo tempore extinguatur; nec aliquid
inibi adpareat, quod perfectam munditiem non redoleat.

4. Ordinamus etiam quod Priores, qui pro tempore fuerint, prae ocu-
lis leges noſtras ſemper habentes, nullo modo praeſumant fratribus, ultra
terminos per eas praeſcriptos, iter agendi facultatem tribuere: nec ſimili-
ter ſibi facultatem ad habitum noſtrum aliquem admittendum, inconſulto
R. Adm. P. N. Prior. Prov. aſſumere

5. Cupientes inſuper, quod illa laudabilis conſuetudo noviciatus noſtri
in refectorium hora undecima in modum communitatis deſcendendi,
ibique carnes non comedendi inviolabiliter obſervetur; ideo ordina-
mus ne quis in poſterum contra eam aliquid innovare praeſumat: man-
dantes etiam RR. Adm. PP. Proribus, qui pro tempore fuerint, ne ad
aliquam ſive publicam proceſſionem, ſive ſolemnem functionem, ſive
reſponſum, novitiós, qui annum probationis nondum expleverunt, neque
profeſſionem emiſſerunt, in communitate etiam formata, é noſtro Noviciatu
exire faciat.

6. Item cum Rubricae noſtrae proprios verſiculos pro qualibet functio-
ne, ſive funere deſignent, quibus poſthabitis, alijs uti non poſſumus, nec
debemus; ordinamus ne quis in poſterum cujuscunque conditionis exiſtat,
contra facere praeſumat.

7. Itemque ordinamus ne quis in poſterum Rmi. titulum, fratri, cujus-
cunque conditionis exiſtat, ſive ſerio, aut joco accommodare praeſumat.

8. Attendentes praeterea magno ponderi, humanis humeris formidan-
do, quod ſecum adfert Prioratus munus; ordinamus RR. Adm. PP. Prio-
ribus qui pro tempore fuerint, ne quis eorum ſibi officium Sacriſtae ma-
joris, infirmarij, nec Sanctiſſimi Roſarij commiſſarij, aſſumere, vel per ſe-
ipſum exercere praetendat: quin potius aſſignatis viris probis, & religio-
ſis à quibus haec omnia poſſint ſufficienter impleri, ipſi a minoribus expe-
diti, ad majora ſint intenti.

9. At-

9. Attendentes inſuper, quod magna fidelium devotione plures pro ſa-
cris celebrandis eleemoſinae ad noſtrum conventum deferuntur; ordinamus, &
praecipimus ut major aeditimus omnes praedictas colligat, easque R. Adm.
P. Priori qui pro tempore fuerit, ſtatim tradat, qui eas inter fratres recto
ordine dividat, & curet quod quilibet, qui eas percipiat applicandas, in li-
bro collectario, quem habebit, ſubſcribat: mandantes item quod nullus ex
hebdomadarijs in locum ſacriſtiae, Eccleſiae, aut alterius cujuſcunque deſ-
cendere audeat, quin prius per majorem ſacriſtam ad celebrandum ſit voca-
tus; rogantes R. Adm. P. N. Prior. Prov. ut eos, qui contra agere auſi
fuerint debita poena punire faciat.

10. Item cum finis noſtrae religionis ſit contemplare, & contemplata
alijs tradere, quorum primum in Divino officio in choro perſolvendo ma-
xime conſequitur; ordinamus, ut à feſto Sanctae Crucis uſque ad Reſurectio-
nem inviolabiliter completorium hora quinta pro-meridiana cantetur; ip-
ſumque ſequatur mentalis oratio in noſtris legibus tam fortiter mandata,
tamque laudabiliter in noſtra Provincia obſervata; inſuperque in ſabbatis,
necnon in veſperis cujuſcuuque diei feſti, ipſae cum completorio ſemper
cantentur.

11. Ordinamus praeterea, quod horarum canonicarum tempus, ſive diur-
num, ſive nocturnum nullo modo immutetur, ſed ſemper, ut mos eſt in iſto
noſtro conventu, horis praefixis in choro habeantur: in memoriam inſu-
per revocantes, & in integrum reddire cupientes laudabilem illam conſue-
tudinem officium agendi, in feſtis quidem B. V. M. SS. que Apoſtol. PP.
graduatos, & diſpenſatos juxta ordinem ſuorum gradum, in feſtis vero Sanct.
O. N. Lectores actu legentes; itemique ordinamus ut Miſſa B. V. M. in ſab-
bato non niſi a diſpenſatis cantetur.

12. Ordinamus item, ut quotieſcunque Miſſa aliqua poſt primam ce-
lebranda occurrerit, nunquam ſine cantu, debitaque ſolemnitate, ut fas eſt,
celebretur.

13. Inſuper ordinamus, ut quotieſcunque PP. â Conſilijs hujus noſtri
conventus ad aliquid determinandum fuerint congregati, determinationem
ipſam R. Adm. P. Prior, qui pro tempore fuerit, omnibus numeris abſo-
lutam, conſiliorum libro mandet, curetque ut quilibet eorum determinatio-
nem ſuam in eo ſubſcribat.

14. Item ordinamus, ut nunquam pro aliquo feſto, in alia Eccleſia ex-
tra noſtram celebrando, ſive a ſacriſta, ſive á quocunque alio ſacriſtiae no-
ſtrae utenſilia commodentur.

15. Piae oculiſque habentes ſanctum illum finem, pro quo ex Hiſpa-
nia ad nos viri religioſi deveniunt; ordinamus, & praecimus ne aliquis, ſi-
ve ſubditus, ſive Praelatus cujuſcunque gradus, aut conditionis exiſtat, ali-
quem ex deſtinatis ad Miſiones impedire, aut in iſta Provincia detinere au-
deat, tranſacto pro eorum requie tempore, per R. Adm. P. N. qui pro
tempore fuerit, prudenter aſſignato, in quo quidem per R. Adm. P. Prio-
rem conventualem, qui ſimiliter pro tempore fuerit, tam ad chori ſeque-
lam, quam ad alia ſuae profeſſionis obeunda munera compellantur: roga-
muſque R. Adm. P. N. Prior. Prov. ut in conventus Miſionibus proximio-
res eos dignetur aſſignare, quo ad ſuas deſtinatas Miſiones occupandas ſint

promptiores: mandantesque, ut unuſquiſque in ſua Miſione determinationes á RR. PP. á conſilijs hujus noſtrae Provinciae pro earum recto regimine factas inviolabiliter obſervet.

16. Attendentes inſuper, prae oculisque habentes magnum illud pignus, quod nobis Sanctiſſim. Parens noſter pro patrimonio reliquit, Sanctiſſimae ſcl. ſemperque V. M. Pſalterium, totoque noſtri cordis affectu cupientes, ut erga Deiparam Virginem devotio in dies magis, ac magis augeatur; ordinamus, ut in omnibus hujus noſtrae Provinciae conventibus ſingulis diebus, horis per Priores locales prudenter aſſignatis, integrum ſemper V. M. praedictum Pſalterium recitetur: in noſtroque Imperiali conventu recitabitur prima pars poſt primam, poſt conventualem Miſſam ſecunda, tertia vero hora tertia poſt meridiem; & ſi hora poſt primam fuerit impedita, duae primae partes poſt conventualem Miſſam recitabuntur.

17. Item ordinamus, ne fratres noſtri in modum communitatis cuilibet funeri aſſiſtere audeant luctum facientes, vel comitantes, concedimusque, ut unus, vel alter hoc facere poſſit pro Patre, vel Matre, vel ſibi Propinquo.

18. Prae oculis denique habentes magnum illud charitatis praeceptum, quo jubemur habere cor unum, & animam unam in Domino: ordinamus, & ſub formali praecepto mandamus, ne aliquis, inter fratres, ſive ſubditus, ſive Praelatus, aut cujuscunque gradus exiſtat, lites movere, foverequc diſcordias, nec aliquam conjurare partialitatem, tam natos in Hiſpania, quam in Indijs praeſumat; adeo ut relictis iſtis mundanis reſpectibus, cum in iſta Provincia vivamus, obtineamus, ut filij ejuſdem Patris nominemur, & ſimus, & tandem experiamur quam bonum ſit, & jucundum habitare fratres in unum.

SUPPLICATIONES.

1. MEritis, quibus in poſtulationibus praeditus adparet R. P. Fr. Dominicus de Medina Hiſpanus, fatemur nos motos ad praedicaturam actu vacantem illum poſtulandum. Rogamus tamen Rm. P. V. ut ſecum ſuper aetate diſpenſare dignetur, quippequi annos numerat tantum 33.

2. Cum ad vota pro primo Magiſterio actu vacante ob mortem R. Adm. P. Mag. Fr. Petri de Herboſo ventum eſt, omnes electores R. Adm. P. N. Prior Provinc. Fr. Joſephum Georgium de Alfaro, in Sacra Theologia Praeſentatum unanimi voce, concordique conſenſu clamarunt; & quamvis in electione praedictus R. Adm. P. N. activam vocem non habuerit; quinimo voci ſuae antea valedixerit; enixè tamen rogamus Rùm. P. N. Magiſtr. General. ut nativa ſua indulgentia ſanare, quoſcunque viderit, aut agnoverit irrepſiſſe praedicta in poſtulatione, defectus, haud dedignetur.

POSTULATIONES.

ORdinationibus Rmi. Mag. General. Fr. Thomae de Turco, & Rmi. Mag. General. de Ripoll obtemperantes, quibus nobis injungitur, ut in meritorum jud ces duo ex M. M. in hac noſtra Provincia acceptatis eligantur, qui authentica uniuscujusque inſtrumenta recipiant, accurateque videant; elegimus RR. Adm. PP. MM. Fr. Antonium de Arratia Indianum, & Fr. Hieronymum Camps Hiſpanum, quorum habita coram RR. Adm. PP. MM. ad id nobiſcum juxta ordinationem Eminentiſſimi quondam Magiſt. General. de Pipia congregatis, de ſingulorum exantlatis laboribus fideli informatione, de eorundem PP. MM. conſilio poſtulationes, & expoſitiones ſequenti ordine diſtribuere pro aequitate, & juſtitia exiſtimavimus.

PRO MAGISTERIO TITULO LECTIONIS ad natos in Indijs ſpectante,

1. ACtuque vacante ob mortem R. Adm. P. M. Fr. Petri de Herboſo; poſtulamus R. Adm. P. N. Fr. Joſephum Georgium Alfaro, & Azevedo, in ſacra Theologia Praeſentatum, Sancti Oficij Qualific. Durangenſis, necnon hujus Archi-Dioec. Synod. Examinat. in praeſenti capitulo ad provincialatus culmen omnium calculis, necnon gratulatione tam domeſticorum, quam extraneorum evectum. Quae cum ipſius praeclaris meritis conjuncta nobis in cauſa fuit, ut ipſum in primo loco pro praedicto Magiſterio poſtularemus. Poſtquam enim in noſtro de Porta-Coeli collegio philoſophiae, ac theologiae ſtudijs, multoties publicas diſputationes, tum logicae, tum philoſophiae, tum theol. tum juris canonici habens, terminum impoſuerat, & factis quinque pro oppoſitione ad cathedram philoſophiae lectionibus, eam in conventu noſtro de Sombrerete fuerat adeptus, & frequentiſſimis privatis diſputationibus, praeter binas publicas moderatus; ad praecitatum collegium revocatus, in eodem quadriennij ſpatio theologiae cathedram occupavit, & bis theologicis etiam publicis concluſionibus praefuit. Iterum in conventum de Sombrerete miſſus, per ſex annos Reg. Prim. quorum quatuor in theologiae lectione conſumpſit, pondus, magno revera ſtudiorum incremento, ſubijt: quo tempore in Durangenſ. civitatem eſt profectus, Illmô. illius eccleſiae Praeſuli, publicas theologiae, & juris canonici concluſiones dicaturus: quibus adeò ſapienter Praeſes adfuit, ut illum in ſua dioeceſi Synodalem Exam. Illuſtriſſimus Mecoenas conſtituerit. Deinde in eodem Reg. Prim. munere propè quatuordecim annos in conventibus de Guadalaxara, & Sombrerete conſumpſit. Poſtea verò in noſtro de Porta-Coeli collegio Rectoris, necnon Regentis Prim. officio propè decem menſes functus. Ac tandem jam Provinciae Praeſul conſtitutus, concluſionibus ex littera D. Thom. depromptis hujus civitatis Illmô. Archiep. pro collegio dicatis, praefuit magno totius conſeſſus

ſeſſus plauſu, & voluptate: erant nanque ſelectae, non ſolum theologicae, & dogmaticae, verum etiam hiſtoricae; quibus pro coronide vindiciae ordinis noſtri adjungebantur. Aet 55. profeſſionis 37. numerat annos.

2. Poſtulamus R. P. Praeſent. ac theologiae Doctorem Fr. Joſephum Morales, qui peracta in conventu noſtro de Guadalaxara philoſophiae lectione, ſacram ſcripturam per triennium in noſtro Mexicano conventu expoſuit, totidemque annis in noſtro de Prrta-Coeli collegio moralis theologiae cathedram occupavit, ac tandem in eodem Mexicano conventu aliud triennium in tradenda ſcholaſtica theologia conſumpſit. Aet. 65. prof. 48. ſupputat annos.

3. Poſtulamus R. P. Praeſent. Sancti Officij Qualific. Synod. Exam. Fr. Franciſcum Xaverium del Roſal, qui 24. annorum ſpatio nullis parcens laboribus in litterario agone ſe ſe exercuit: nam poſtquam philoſophiam per triennium, & ſacram theologiam per novennium in noſtro Mexiceo conventu tradidiſſet, per undecim annos Regentis ſecundarij in noſtro de Perta-Coeli loborem ſubijt, in quo quidem per triennium Rectoratus, necnon Regentis primarij munere fuit functus, vi cujus concluſionibus praeteriti capituli praefuit. Aet. 58. prof. 42. percenſet annos.

PRO PRAESENTATUR. TIT. LECTIONIS ad natos in Indijs pertinente, ſi vacaverit.

1. Poſtulamus R. P. Fr. Joannem Viſoſo Durangenſis Epiſcopatus Synodal. examin. in praeterito capitulo jam poſtulatum; qui peracto in noſtro de Porta-Coeli collegio ſtudiorum curſu, ad lectionis munus in noſtro de Sombrerete currendum aſumptus, triennium in philoſophiae, novennium in ſacrae ſcripturae, moraliſque. & ſcholaſticae theologiae cathedris regendis eo felici exitu abſolvit, ut ex ejus auditoribus 23. in Epiſcopatu Durang. Parochiali honore decorati cuſtodiam agant animarum: in Regentiaque primaria ejuſdem conventus per octo annos labores continuavit; quinquies publicis diſputationibus praefuit. Ab ortu 50. à prof. 32. habet annos.

2. Poſtulamus R. P. Fr. Antonium Garcia Doct. theolog. & Sancti Officij Commiſſarium; in praeterito capitulo expoſitum qui poſtea quam philoſophiae, ac theologiae in noſtro de Porta-Coeli collegio curriculum abſolvit, & in latinitate edocenda laboravit; per triennium Artium curſum accurate inibi legit, & per biennium M. ſtudentium onus ſuſtinuit. Poſt vero ad noſtrum imperiale coenobium tranſlatus ſcripturam ſacram triennio, biennioque ſcholaſticam theologiam in primaria cathedra explicavit, deinde in Regentis primarij ejuſdem conventus munere duos annos inſumpſit, necnon quatuor in praedicato collegio ſecundarij Regentis: octo ſupra decem publicis philoſophiae diſputationibus praefuit, concluſiones capitulares habuit; theologicis, necnon philoſophicis publicis diſputationibus Praeſes in Mexicana Univerſitate ſemel, atque iterum auſuit. A nativit. 44. à prof. 26. ſupputat annos.

3. Po-

3. Poſtulamus R. P. Theolog. Doct. & Sancti Officij Qualificat. Fr. Dominicum de Arrieta in anteriore capitulo expoſitum: qui ſtudiorum curſu in noſtro de Porta-Coeli collegio abſoluto, quinquies ad Artium cathedram obtinendam, tum in eodem collegio, tum in hoc Imperiali conventu litterariam deſcendit in arenam, quam denique in dicto coenobio obtinuit, & per triennium feliciter moderatus eſt, quo finito, annum, & amplius in Mag. ſtudent. munere conſumpſit, per alium deinde annum Melchioris Cani cathedram rexit. Poſt. vero ſacram ſcripturam, moral. necnon ſcholaſt. theologiam per decem annos expoſuit. A limine litterarij ſui exercitij usque in finem 24. publicas diſputationes, & defenſavit, & praefuit, quarum tres in collegio, tres in conventu, interque eas capitulares Excmô Pro-Regi pro conventu dicatas, ac denique in Mexicana Univerſitate octo ſupra decem publicis, tum philoſophiae, tam theologiae, quarum tres per integrum diem, diſputationibus praeſes adfuit. A Sanctae Inquiſit. Tribunali Qualif. necnon hujus Mexicanae Curiae Commiſſarij honore decoratus eſt. Aet. 40. prof. 22. percenſet annos.

PRO PRAESENTATURA TIT. LECTIONIS ad natos in Indijs ſpectante,

1. Actuque vacante ob mortem R. P. Praeſent. Fr. Ferdinandi Aviles: poſtulamus R. P. ex-Lectorem Fr. Antonium Garcia.

2. R. P. ex-Lectorem Fr. Dominicum de Arrieta.

3. R. P. ex Lect. Fr. Joſephum Lopezium Aguado, conventus noſtri de Queretaro Priorem, qui emenſo ſtudiorum agone, quatuor ad Artium cathedram oppoſitiones fecit, & eam in noſtro de Porta-Coeli collegio triennio ſtudioſè eſt moderatus, octocies publicas concluſiones cum ſuis diſcipulis praeſes propugnans, praeter Capitulares diſputationes, quas omnium plauſu, & admiratione ſuſtentavit. Mox ad cathedras theologiae regendas in eodem collegio evectus, tum ſacram ſcripturam, tum moralem ſcholaſticamque theologiam per novennium docuit, & bis publicis ejusdem facultatis concluſionibus praefuit: per quatuorque annos in Imperiali hoc coenobio Regentis ſecundarij munus vigilanter exercuit. Aetatis 49, profeſ. 29. numerat annos.

PRO PRAESENTAT. TIT. LECTIONIS: ad natos in Indijs pertinente,

1. Actuque vacante ob mortem R. P. Praeſent. Fr. Emmanuelis Caſtellanos: poſtulamus R. P. ex Lect. necnon theolog. Doct. Fr. Dominicum de Arrieta.

2. R. P. ex Lect. Fr. Joſephum Lupezium Aguado.

3. R. P. ex Lect. necnon theolog. Doct. Fr. Coſmam Enriquezium Guer-

Guerrero, in praecedenti capitulo expoſitum; qui cum ter ad philoſophiae cathedram oppoſitionem feciſſet, eam in noſtro de Porta-Coeli collegio fuit adeptus, adeoque laborioſe in ejus moderamine ſe geſſit, ut quatuordecim in publicis diſputationibus diſcipulis ſuis praefuerit: deinde in M. ſtudent. biennio conſumpto, in theolog. cathedris, tum ſcripturae, moralique, & ſcholaſtica regendis ſeptennium inſumpſit: denique ſecundarij Regentis onus per quatuor annos in eodem collegio ſuſtinuit, ter publicis theolog. concluſionibus praefuit. Ab ortu 41. à prof. 24. numerat annos.

PRO MAGIST. TIT. PRAEDICATIONIS ad natos in Indijs ſpectante,

Actuque vacante ob mortem R. P. Praeſ. Fr. Franciſci Diaz Leal: poſtulamus R. P. Praeſ. Fr. Joſephum Morales; qui ſeptendecim quadrageſimas, ducentosque panegyricos ſermones in bonis civitatibus peroravit. A nativit. 67. à prof. 32. numerat annos.

PRO PRAESENTATURA PRO HUJUS Magiſterio vacatura.

1. Poſtulamus R. P. Praedic. General. Fr. Ferdinandum Victoria, in praeterito capitulo poſtulatum: qui in philoſophiae, ac theologiae edocendis in conventibus de Sombrerete, & Guadalaxara per quindecim annos operam dedit; cujus meriti ratione in capituló anno 1744. celebrato pro praeſent. titulo lect. fuit ſecundo loco poſtulatus. Laborque adjungens laborem 30. & amplius quadrag: ſimas, cum 800. ſermonibus infatigabilis Evangelij Praedicator oravit; Roſarijque devotionem, habitis, tum Mexici, tum in civitate de Guadalaxara per 25. annos omnibus Dominicis, & diebus feſtis ad populum concionibus, mirandum in modum auxit. Aet. 66. prof. 50. percenſet annos.

2. Poſtulamus R. P. Praed. General. Fr. Petrum de Sotomayor, qui abſoluto ſtudiorum curriculo, in conventum noſtrum de Zacatecas legendi philoſophiam cauſa ſe contulit, in hocque munere triennio laudabiliter conſumpto: verbi Divini praedicationem ita amplexus eſt, ut 19. abhinc annis Praedicatoris General. gradu meruerit honorari, & uſque ad praeſens hoc munus frequentiſſimo labore complevit. Ab ortu 65. à prof. 47. numerat annos.

3. Poſtulamus R. P. Praedicat. General. Fr. Ignatium Aroſtegui; qui conſumpto ſtudiorum ſeptennio, & in legenda philoſophia triennió, ad Evangelij praedicationem ſe accingens, Sanctum ſemper Virginis Mariae Pſalterium per quindecim, & amplius annos omnibus, tam Dominicis, quam feſtis diebus Mexici praedicavit, novendecimque quadrageſimas, praeter multos alios panegyricos ſermones peroravit, terdecim, vulgo tandas,

ctas, Mexici praedicavit, fere omnibus diebus dominicis indijs chriſtianam doctrinam expoſuit, commiſſarij denique Sanctiſſimi Roſarij munus in conventu noſtro de Atzcapotzalco, cujus eſt Prior, usque nunc laudabiliter exercet. Aetatis 49. prof. 33. habet annos.

PRO PRAESENT. TIT. PRAEDICATIONIS ad natos in Indijs pertinente,

1. Actuque vacante ob mortem R. P. Praeſ. Fr. Caietani Guerrero: poſtulamus R. P. Praedic. Gener. Fr. Petrum de Sotomayor.
2. R. P. Praedic. Gener. Fr. Ignatium Aioſtegui.
3. R. P. Praedic. Gener. praeſentis capituli definitorem Fr. Franciſcum Silveſtre; qui per ſexennium ſtudiorum curſo emenſo, octodecim quadrageſimas toto ſpiritus fervore, magnaque cum animorum commotione praedicavit, praeter plures alios panegyricos ſermones Mexici peroratos. A nativitate 54. â prof. 37. numerat annos.

PRO MAGISTERIO TITULO LECTIONIS ad natos in Indijs pertinente, forſam vacaturo.

1. Poſtulamus R. P. Praeſent. ac theolog. Doct. Fr. Joſephum Morales.
2. R. P Praeſentat. Sancti Officij Qualific. necnon ſynodal. examinatorem Fr. Franciſcum Xaverium del Roſal.
3. Poſtulamus R. P Praeſent. Procuratoris Provinciae in utraque curia ſocium Fr. Joannem de Deo Cordova, qui per triennium in conventu noſtro de Guadalaxara philoſophiam, per novennium autem in noſtro Imperiali Mexicano theologiam ſtudioſe, & laudabiliter legit. Aet. 53. prof. 33. habet annos.

PRO PRAEDICATURA GENERALI TIT. conventus ad natos in Indijs pertinente,

1. Actuque vacante ob aſcenſum ad Praeſentat. R P. Praed. Gen. Fr. Caietani Guerrero: poſtulamus R. P. Praed. convent Fr. Emmanuelem Colina in praecedenti capitulo poſtulatum, qui poſt conſumptum in litterario agone ſeptennium, viginti quadrageſimas Mexici peroravit, & â praedicatione Verbi Dei per annos unum ſupra viginti non quievit, quibus in hoc Imperiali conventu praedicatoris conventualis onus ſuſtinuit. Aet. 60. prof. 44. ſupputat annos.
2. Poſtulamus R. P. Fr. Dominicum Perez, qui poſtquam ſtudio philo-

ſophiae, & theolog. in noſtro de Porta-Coeli collegio ſedulam navavit operam, ea ratione, ut duplices publicas philoſophiae concertationes ſuſtentaſſet: quinque quadrageſimas praedicavit, aliosque ſermones, tam in hac civitate, quam in noſtro SS. Philipi, & Jacobi conventu è ſacro ſuggeſtu dixit. Aet. 37. prof. 22. numerat annos.

3. Poſtulamus R. P. Fr. Salvatorem Manzano, qui poſtquam philoſophiae, ac Theolog. ſtudio in noſtro de Porta-Coeli collegio abſoluto, ad conventum Guadalaxarenſem aſſignatus, 57. ſermones, tum morales, tum panegyricos ibi praedicavit; alijsque in populis 9 quadrageſimas cum 63. ſermonibus, & Sanctiſſimi Roſarij ſermontiunculis per plateas diſcurrens, fructuoſe dixit. Ab ortu 50. â prof. 26. habet annos.

PRO PRAEDICATURA GENERALI titulo Miſſionis,

1. POſtulamus R. P. Fr. Caietanum Ruiz Altamiranum in Indijs natum, qui ſtudiorum curſu foeliciter in noſtro de Porta-Coeli collegio expleto, & Lectoris honore in eodem abdicato, praedicationi Verbi Dei ſe totum dedit, & in hoc munere magno animi fervore plures quadrageſimas praedicavit; permultas tam panegyricas, quam morales conciones in principalioribus hujus civitatis Eccleſijs peroravit. Sanctiſſimi Roſarij devotionem quam plurimum auxit, meretricibus recluſis panem vitae propinavit. A nativ 38. â prof. 22. numerat annos.

2. Poſtulamus R. P. Fr. Joſephum de Mora in Indijs ſimiliter natum, qui ſui ſtudij tempore finito, quatuor, (vulgo tandas) in diverſis Eccleſijs praedicavit, praeter multos alios, tum panegyricos, tum morales, tam Mexici, quam in conventibus alijs, in quibus aſſignatus erat peroratos; demum in Sancti Michaelis de las Palmas miſſione, in qua per quinque annos vixit, omnibus feſtis diebus chriſtianam doctrinam Indijs expoſuit. Aet 50. prof. 32. habet annos.

PRO MAGISTERIO TITUL. LECTIONIS ad natos in Hiſpania ſpectante,

